

P.M. SALVATORIS  
RUFFI PANORMITANI  
... DE HORRENDO  
TERRAE MOTU QUI  
CONTIGIT PANORMI...

---

Salvatore Ruffo





1.7.208



2.7.208

X

1008

Ex segato Dni Episcopi Antonii Francisci de Altimis

1.7.208



P. M. SALVATORIS RVFFI  
PANORMITANI

E TERTIO ORDINE S. FRANCISCI  
DE HORRENDO

# TERRAE MOTV

Q VI

CONTIGIT PANORMI

NOCTE POST KALEND. SEPT. c<sup>lo</sup> Iccc xxvi.

## TRACTATVS HISTORICVS

Q V E M

EX ITALICO IN LATINVM SERMONEM  
CONVERSVM

ADIECTA PRAEFATIONE ATQVE

TABVLA VRBIS PANORMI

EDI CVRavit

G. FRID. RICHTER PROF. P.

E COLLECTORIBVS ACTORVM

ERVD. LIPS.

---

LIPSIAE c<sup>lo</sup> Iccc xxvii



17.208

СИДИЧАЯ ГРЯДКА

СИДИЧАЯ ГРЯДКА

СИДИЧАЯ ГРЯДКА

СИДИЧАЯ ГРЯДКА

1.5.2005

СИДИЧАЯ ГРЯДКА

G. F. RICHTERI  
P R A E F A T I O  
IN HANC NOVAM SCRIPTI RVFFIANI  
EDITIONEM LATINAM LIPSIENSEM

**M**ultas quidem & varias, de gravissimo terrae motu, qui Panormum nuper afflixit, accepimus narrationes; sed nec copiosas sat, & autoribus parum certa circumlat-  
tat. Quo promptius honestissime voluntati doctissimi Russi, Panormitani, obsequendum putavimus, qui historiam a se ipso curiosissime & accuratissime lingua vernacula conscriptam, nobis non ita pridem misit, atque ut eandem in latinum sermonem conversam hic loci edevimus, rogavit. Quantam babeant in physico utilitatem historie effectuum naturalium, fideliter atque accu-  
rate tradita, sati confit. Nec novae solum observationes juvant, sed & veteres iterum ac siepius confirmanda sunt, ut secure iis innisi, & circumstantias perperam non raro neglectas animadver-  
tere valeamus. Cum apud Plinium legitur, nunquam intremi-  
scere terram, nisi sopito mari, caeloque tranquillo; coni-  
tari terribilem sonum; sine flatu inturnescere fluctum; pra-  
cedere etiam sereno ceu tenuem lineam nubis, in longum porrectam spatium; denique desinere tremores, cum ven-  
tus emersit; hec quidem non mediocriter confirmat presens hi-  
storia. Illud a superioris eti scriptoribus minus notatum, quod linea nubis celeriter amplificata, sub ipsum terrae motus principium, cum horrendo fulgure dissipata sit, quodque etiam aliae crebrae ac valida fulgurationes, nec fulmina tamen, praecesserint. Quae si cum prioribus componantur, non sine magna verisimilitudine colligi vide-  
tur poss.; fulmina ista ac tonitrua subterranea, que haut dubie pro germanis terrae motuum causis habenda sunt, ut in tractatu meophysico, de Natalibus fulminum, differui; ea igitur fulmina Part. II. n. 1.

tum potissimum peri, cum in aere externo, propter abundantiam se-  
minum sulphureorum, & defecum nitroforum, quieto diu ac tor-  
pidio, graves tandem orientur fulgurationes, a quibus incendium  
ad volumina nitrosa, sub tellure retenta & collecta, transfundatur.  
Semina nitrosa id dico exhalationum genus, quod ingenti sua  
& celeri intentione atque diduclione, aerem & corpora quacum pro-  
pinqua vehementer impellere, eaque ratione non solum ad vento-  
rum fulminumque, sed & ad ipsarum pluviarum generationem,  
concurrere quodammodo censemendum est. Et quamquam materiam  
fulmineam, sub terra collectam, etiam aliunde, quam a fulguri-  
bus externis, succendi interdum posse, minime infitor, cum vel so-  
lorum montium ardentium effectus id satis testari videantur, in ter-  
re motu tamen Panormitano, a nubecula illa, cum inustato ac  
vasto fulgure, prope montem Gallum, diffusa, profectum incendi-  
um, ac per eundem montem sub terram propagatum esse, neque ab-  
simile quid in multis etiam aliis terrarum tremoribus usu venire  
posse, existimem. Sed hec persequi in praesentia non licet. Rationem,  
pag. 11. quam affert Cl. Autor, cur illa imprimis loca Panormi fuerint de-  
vastata, que olim mare & portus occupavit, magnopere probo. De  
ea adhuc subdubitare fas sit, qua docere conatur, terre motum Pa-  
normitanum ad genus illud referendum esse, quod inclinationis  
vocabulo designante physici. Neque enim hoc locum habere videtur,  
nisi divulsis terris, magnisque biatis apertis: & tum quidem uni-  
versas ruinas, vel ad biatus illos, si remanserint, vel ad oppositum  
latus, si repente ore compresso (ut cum Plinio dicam) inductum rur-  
sus atque commissum fuerit solum, vergere necesse est. Meminit  
pag. 12. quidem Nostr de voragine in isthmo famoso molu, itemque in pro-  
pugnaculo quodam exorta, sed citius hunc locum deserit quam vel-  
lem; & que aliunde accepimus de vastissimo biatu in ipsa urbe  
aperto, quo etiam complures miseri, in tenebris effugia querentes,  
hausti fuerint, non satis fide digna arbitramur. Illud ponere pro  
certo licet, etiam si ad succussionis genus pertinuerit terre motus  
Panor-

Panormitanus, tamen ab edificiorum supremis, hoc est, infirmioribus partibus, ruinas oriri debuisse. Reliqua, que hoc trahatu exponuntur, ad historiam politicam potius quam naturalem spectant. Ad quorum illustrationem, cum exteru precipue lectoribus, tabula ichnographica vel scenographica urbis Panormitanæ, ab ipso Autore omissa, insigni esse usu possit, nos eam adjecturi non aliunde defumere potuimus, quam e magno Theatro Italiæ, juxta delineationes Joannis Blaeau; unde eandem, hanc scio an in quibusdam partibus minus accuratam, in splendidum suum opus transstulerunt Collectores Thesauri Antiquitatum Historiarumque Italicarum Græviani. Sed & formam urbū veteris, ex Augustini Inveges Annalibus Panormitanis, seu Panormo antiqua, in parva tabula exprimendam curavimus: Ubi characteres quidam numerorum ea re appositi sunt, ut collatis illis cum iisdem numeris in tabula majori, statim apparcat, quo loco termini antiquæ urbū fuerint. Ceterum, qua diligentia usus sit Cl. Ruffus, & quam approbationem inter suos meruerit, cum ex litteris ejus ad Collegium nostrum latine perscriptis luculentissime constare queat, eæt hoc loco integras inserere, bona cum ipsius venia, non alineum arbitramur. Sunt autem bujusmodi: A terræ motu, qui i. Septembbris die decurrentis anni, noctu, Panormum concusit, civium non mediocri clade, pauci exciderant dies, cum a duobus viris, alioqui eruditis, brevis relatio conscripta prodiit funestissimi eventus. Ego vero animadvertis, multa in ea vel prætermissa, vel autoribus ignota, sed scitu digna, præsertim quæ ad excidia domorum, & civium cædem spectant, quæque pro virili adnotaveram, vel ab ipsa casu nocte & sequentibus diebus, ut suis numeris absolutam exponerem historiam, urbem, patriam meam, perlustravi totam, non sine improbo labore; ea mente, ut lugendam legendamque exteris gentibus, præsertim Italìs ac nostratis, tam horrendam ærumnarum catastrophen

traderem completissime. Placuit quod typis edidi, litteratis viris æque ac Nobilibus, non modo quia minutum omnia quæ acciderunt, breviori quo potui stylo, descripsi Italice, verum etiam quia animi mei candorem, in veritate, quæ objectum ac veluti anima (ut ita dicam) Historiæ est, patefacienda, detexerunt commendaruntque. Nihil enim admisi eorum, quæ oculis meis non vidi, quam quæ mihi testarentur viri probæ notæque fidei. Imo, quia in prima editione tria per errorem nomina propria, adverbiumque *simul pro similiter*, excurrisse observavi, in subiecta altera vice prelo historia, quam nunc Vobis, III. Domini, mitto, correcta volui. Hoc consilio permotus Vestram precor benignitatem, ut, si dignæ putaveritis typis vestris summaque vestra eruditiohe, orbi literato illam latinitate donatam publici juris faciatis, mihi que condonetis meæ ausum petitionis, ad quam me adigerunt nonnullorum civium hortamenta precesque. Summam enim hac de re conceptam spem ipsis faciebat (ita dictabant) solertia studii de omnibus bene merendi ubique fama pervagata, ac singularis vestra in litteras ac litteratos omnes amor & observantia. Ceterum, quantum in me est, satis habuero, si vestra, quæ mihi alte hæret in opinione mea, certe non falsa, clementia, munusculum hoc complectamini, argumentum beneficii in me vestri, atque autoramentum meæ in Vos observantia. Valete, & Deo sospitante diu incolumes vivite, vivatque vobis cum litteraria reip. ornamentum. Panormi, die 20 Octob. 1726. *Hec Vir doctissimus atque humanissimus: cui presentem tractatus sui editionem, recensionemque, quam dedimus in Actis nostris, mense Jan. hujus anni 1727, responsi loco esse velimus.*

PA-



of the body, and the skin was very pale, and

the hair was thin and yellowish brown, and the

skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and

the skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and

the skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and

the skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and

the skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and

the skin was very pale, and the hair was thin and

yellowish brown, and the skin was very pale,

and the hair was thin and yellowish brown, and





PANORMUS, urbs præcipua Siciliæ, cum multa alia ab hominum atque naturæ liberalitate nata magna beneficia est, tum illud etiam ad hoc usque tempus habuit ipsius privilegium, ut in tot terræ tremoribus, quos afflixisse Siciliam memorie proditum est, nullas fit perpesta edificiorum ruinas, nullam civium cladem: nam fabulam *Guevara* (in vita *M. Aurelii*, Part. I. cap. LVIII.) *Auguſtimus Inveſtigatus*, in *Panormo Sacra*, itemque *Fr. Aprilis*, in *Chronologia Siciliæ*. & alii autores, fatis confutauunt. Hanc placuit Divino Numini, cujus occulta & justa sunt judicia, die primo Septembris hujus anni, gravissimo ac perniciosissimo terræ motu conquassare: quo adeo lacerata ac deformata est pulcherrimæ urbis facies, ut non solum ingenia clementiora, sed ipsam crudelitatem, movere ad misericordiam poscit. Quamquam illa quidem una civium suorum voce confitetur, potentissimam Dei manum multo pœnæ absynthio plus tamen olei misericordia admississe. Dies erat nubilus, caliginosus, & respirationi incommodus, quem principium noctis sequebatur, serenum illud quidem & stellatum, ceterum ob crebras ac validas circa horizontem fulgurationes, multis terribile. Observatum est a navicula Gallica, quæ tum quidem millia passuum fere XXX ab hac urbe aberat, nec non ab aliis, in camporum planitie & statione navium, accedere a septentrionibus meteoron quodam, sive atram nubeculam, absque vento aut pluvia, (quæ res jam diu desiderabantur) ardentia & frequentissima fulgetra, nec fulmina tamen, ejaculantem, eandemque paullo post, in formam longæ cujusdam trabis igneæ extensam, appropinquare super horizontem montis *Galli*, qui monti *Peregrino* vicinus est. Tremere tunc atque intumescere mare, mons ipse strepitare, & puncto temporis amoenissimum illum tractum circum-

dans meteorum, cum horrido fulgure displodi, atque in auras abire, prope Regium Castellum maris, ad portam S. *Georgii*, (que nunc Diva *Rosalie* vocatur, propter reliquias quasdam hujus nostre Sancte civis, in fastigio novae atque magnifica fabricæ, muro inclusas) stupescientibus & incredibiliter perterritis iis, qui rem e campo atque statione navium spectabant, ac totius urbis incendium verebantur. Nam & Castelli Praefectum Regium, *Gumberothium*, timor incessit, ne conditorio pulveris bellici adhaesisset ignis hujus meteori, quod deinceps in aquas marinas, prope molem parvam, que *Cala* dicitur, immergi, non totum fortasse, sed ex parte vifum est: & carcerebus Regiae *Vicarie* inclusi, gravissime attoniti, Divam invocarunt Rosaliam, ad cujus etiam facellum, in Ecclesia cathedrali, tabellam votivam postea miserunt.

Hoc ipso vero tempore, paullo ante quartam noctis horam (nam deerant scrupula fere quinque) juxta horologium Italicum, totam concussit urbem & amplissimum ejus agrum terre motus, qui oriri cum regulari quadam agitatione, sed & cum inusitatè strepitu observatus est. Sequuti sunt quatuor multo urgentiores ac plane horribilissimi pulsus, de eo genere, quod *Inclinationis* vocabulo designant Physici, nutante solo, & modo ad dextram, modo ad sinistram jactato. Finem denique fecit terribilis fremitus, & tremor quidam irregularis, cum repentina vento, a mari irruente. Et motum quidem ejus generis fuisse, de quo dixi, multo certius deinceps ipso oculorum sensu licuit dignoscere. Nam cunctorum ædificiorum, tum collapsorum tum laceratorum, integra erant fundamenta, omnisque ruina a tectis, fornicibus, coronis, atque summis ædium partibus, orta cernebatur.

Dici non potest, quanto pavore perculsi sint cives, quorum multi tantum non nudi e lectis ruentes, per gradus, per fenestras, partim saltu, partim per scalas tumultuaria opera applicatas, se precipitabant. Alii extra urbem apertos querebant campos: plerique cum Nobiles atque honoratores cives, tum opifices, ea ipsa nocte, tentoria vel casulas ligneas sibi præpropere extruebant, in XII urbis propugnaculis, atque in

in area Regii Palatii, templi cathedralis, Papyriti, ore maritimæ ante palatium Inquisitionis, Castelli maris, aliquaque locis. Ab omnibus cum gemitu atque ululatu implorata Divina clemencia, atque invocata immaculata virgo, Domina nostra, & S. Rosalia, quæ sunt duo asyla & duo amores pietatis Panormitanæ.

Senserunt hunc terræ motum etiam urbes *Mazara* & *Marsala*, ut litteris significatum est: sensit *Drepanum*, quo loco duo saltim globi lapidei, ex turri D. *Annunziatae* Patrum Carmelitanorum, dejecti, pereunte milite Germano in arce *Columbarie*, sine alio damno: sensit oppidum vicinum Archiepiscopale, quod *Montis regalis* nomen habet: senserunt alia multa loca & castella, ad LX millia passuum a Panormo remota. Placuit Divino Numini omnem pestem in hanc unam metropolim effundere. E monte *Gallo* ingens decidit lapis, ad mare usque, quod totum fremere atque intumescere visum, piscibus tanta copia ascendentibus, ut navicularius quidam, ope exigui retis, paullo ante proiecti, DCCL libras ceperit, qui magno labore periculum submersiōnis, propter validos concussus, evitavit. In isthmo famosæ molis, Geographis tantopere celebratæ, vorago aperta, cum aliis fissuris longis: idemque factum in propugnaculo urbis, quod vocatur *della Lanterna*. Disrupta passim taberna sub nobili ponte, quo annis *Orebus* sive *Admirati* transmittitur. In regione quæ dicitur *de ciaculli*, ubi olivetis & vineis distinctus ager, omnis aqua magnæ piscinæ, in horto Principis *Roccellæ*, foras ejecta. In turri longa miles excubias agens interemtus. Castellum Regium *Arifit*, (*Zisam* vulgo dicunt) altissimum ædificium Saracenicum Principis *Antonii Sandavoli*, Magistri rationalis, multis locis, in partibus camerisque superioribus hiavit. Et complures aliae ædes in agro Panormitano fissuras reparabiles passæ.

Ego qui tum in cellula fedebam, cum duobus religiosis, existimavi in illa perturbatione, terræ motum, a principio ad finem, tanto temporis spatio durasse, quanto opus est ad recitationem dimidii Psalmi: *Miserere mei Deus*. Sed & alii, iisque multi & graves viri, qui paullo tranquillius rem observarunt,

definiendum illud tempus pronuntiatione Symboli Apostolici arbitrii sunt. Ceterum sine mora per gradus devolantes, cum aliis LXXX religiosis hujus Cœnobii *D. Marie de Misericordia*, quod & *S. Anne* dicitur, (propter celebrem devotionem erga imaginem hujus Divæ, quam Deus innumerabilibus honoravit miraculis,) in aulam hortumque nos effudimus, ubi aliquamdiu supplices atque attoniti commorati sumus, timentes, ne XXIV columnæ, cum quatuor pilis, que omnes e marmore cinereo conflata ædificium sustentant, novis concussibus subverterentur. Sed ad clamorem & lachrymas concurrentis populi adapertum templum. Patefactæ etiam omnes alias ædes sacræ, Parochiales & Religiosorum, tum clericorum tum mendicantium, in urbe & extra eam, (præter duas, quas aperire justis de cauulis visum non est,) ad recipiendas sacras confessiones: ex eundem hoc fine Patribus e Cœnobia *S. Dominici* in loco proxima, & Patribus Societatis Jesu in amplissimam aulam Domus professi.

Vulgo et tectis fugitabant mortales: sed non universis ubique ista fuga saluti fuit. In omnibus quartuor hujus metropolis partibus, quarum quilibet pro magna urbe habendam esse constat, in quinque potissimum locis, memorabiles deprehenduntur lugendaque ruine. In ipsa confusione illius noctis illustrissimus Prætor, Dom. *Federicus de Napolî*, Princeps de *Refutano*, Grandis Hispaniæ, intimusque S. C. C. M. Consiliarius Status, propria manu funestissimam calamitatem perfecipit ad Excellentissimum Dominum Proregem, F. D. *Johannum Fernandez Portocarerum*, Præfectum relig. Hierosol. qui superiori mense Junio *Messianam* se conculerat, res nonnullas ordinaturas, ad provinciam suam pertinentes: a quo responsum accepit, singulari laude & confidentiæ significatione refertum, cum promissione celeris ad hanc urbem reditus, ubi opus videretur. Ille vero senatoribus, qui subito conveniebant, curationes distribuit atque administrationes variarum rerum. Ad junxit etiam iis deputatos alios, atque necessarios ministros; quorum ope tribunos convocavit cementarium, pectorum, coriariorum, cum ipsorum sociis, ad sepe lienda

lienda cadavera ruinis oppressa: in primis in ea regione, quæ dicitur de' Lattarini, ubi ædes ad latera templi *S. Marie de misericordia*, sive *S. Anne*, constitutas ignis arripuerat, ut infra docebo. Sed & in tabernis atque ædibus mercitoris, una cum mulis perierant non pauci muliones atque peregrini, qui ibi habitare consueverant.

Hujusmodi adhibita diligentia, & cognatorum ope, extracti illa nocte, in regione quam dixi, non pauci, partim vivi partim mortui, quos & ego meis oculis vidi, & multi viderunt alii, ad tam triste spæclarum concurrentes. In platea, quæ dicitur de' Candelari servatus cum familia sua D. Petrus Puzzolus, Magister chori musici Excellentissimi Senatus. Protracta etiam passim ex aliis locis devastatis cadavera.

Ad conservandam hac nocte tranquillitatem, zelum quoque & soleritiam suam, circuitionibus excubiisque nocturnis contulerunt Princeps de Niscemi, Magister justitiarius, & Judices prætoriani; Dom. Jo. Francisci, Dom. Jo. Bapt. Arceri, & Dom. Ferdin. Bassanus, cum Dom. Angelo Cammarozzi, Advocato Fiscalis curiæ Prætorianæ. Hi continuo adstiterunt Excellentissimo Senatu & Prætori, qui per complures dies, ad portam palatii Senatorii, aditum promte concedens civibus, & rebus prospicere & jus administrare non cessavit: Quod sensit furti reus, qui XXIV horis nondum elapsis, publice virgis cæsus & per XV annos ad remigium condemnatus est. Dom. Jo. Francisci, cui deinceps duo reliqui judices prætoriani se adjunxerunt, obtinuit illa nocte, a centurione Germano manipuli in area maritima, sex vigilias, quæ per urbem circumirent, & custodes publicorum carcerum, & VIII milites, II fabros, unumque Caporalem, propriis sumtibus; quorum ope erutum est corpus Dominæ Damiane Galletti & Corvino, Principis de Rocapalomba: Quamquam eodem fine illuc, cum duobus militibus, jussu Prætoris, se contulerat Praefectus fabrum Senatus, Joseph Furceri. Multis etiam scalas admovendas curavit laudatus Judex, Francisci, qui vivi supererant in ædibus domui Michaelis Mureti subjectis.

Sed & insignis eluxit ardor illustrissimi Domini Cosimiri

*Dragi*, Panormitani, magnæ curiæ Regalis Præsidis, qui mane diei lunæ opportune prospexit, ut publici *Vicarie* carceres ex-cubiis custodirentur, quas impetravit a Dom. Barone *Francisco de Zunkenberg*, Tribuno & Præfecto cohortis Campi-Mare-schalli Dom. Comitis *Csalei*: neque enim exiguo motu, in illa perturbatione, excitare potuisset tanta captivorum copia. Ipse obsequio erga Dominum & amore in patriam duxus, no-  
tæ sequente ad horam V. cum suis administris, per aream maritimam circuivit, ubique ad succurrentum promptus, ubi o-  
pus videretur, atque ad conservandum ordinem in afflictissima civitate unice intentus: quo & publicam admirationem meruit, & singularem iniit gratiam ab Excellentissimo Prore-  
ge, quippe instaurationi istorum carcerum magnopere invi-  
gilante.

Die Mercurii, cum & numerum cæmentariorum in pla-  
teis ruinam passis imminuere, partemque eorum ad domos ci-  
vium perclitantes mittere necesse esset, & ubique in illis regi-  
onibus fœtidos exspirarent halitus insepulta cadavera, ut eo  
celerior fieret reparatio, rogavit a Dom. Barone de *Zunkenberg*,  
qui hoc tempore copiis *Cæfareis* in hac urbe præfet, facileque  
obtinuit Prætor CC milites & XX fabros sive munitores, sum-  
tibus Excellentissimi Senatus, qui, absente Prorege, dispen-  
sare ex Patrimonio & columna urbis frumentaria pecunias ad  
publicos usus necessarias consuevit. Hæc vero militum ma-  
nus, cum suis Præfectis, Dom. Barone de *Waghein*, Tribuno  
cohortis *Starenbergicae*, & Dom. de *Busch*, Tribuno vicario co-  
hortis *Bettendorffiana*, amicissime & summa fide mox amoliri  
ruinas, aperire plateas, extrahere cum hominum tum bruto-  
rum cadavera, in iis oppressa locis de quibus paullo post expo-  
nam; diruere ædificia ruinis proxima, colligere utensilia, par-  
tim integra partim lacerata, eademque vel dominis, si illi qui-  
dem superstites, vel eorum cognatis, per Senatores atque ho-  
rum administris, promte reddere; denique cum singulari vi-  
gore & spiritu militari, invictæ Germanorum nationi prop-  
rio spretis omnibus laboribus ac periculis, urgere opus; quod  
paucorum dierum spatiis perfectum est. Senatus interim &  
Prætor

Prætor Excellentissimus, toto illo tempore\*, omnibus prospicere rebus atque opportune succurrere, indefesso studio laboravit: cui etiam, iteratis litteris, cum prolixa gratiarum actione ingentes tribuit laudes Excellentissimus Prorex. Ceterum ego, brevitatis studio, ad relationem provoco, quæ jussu Senatus typis impressâ publice prodit. Mihi enim damsna describere propositum, ab illo terræ motu profecta: quæ quidem minime exaggerare, sed summo vertiatis studio nunc deinceps exponere aggrediar.

Ut vero cum aliquo ordine, in tanta confusione, funestissima illa catastrophe tractetur, a prima urbis parte exordendum est, ubi situm palatium Regium, sedes antiquorum Regum, nunc Proregum Siciliæ. Hic in camera *della Racchetta* pars muri collapsa: conclave marmoreum multis & gravibus intersectum fissuræ: In atrio turris *S. Nymphae*, ubi *Parlamentum* Regium congregari solet, medium disruptum & loco motum ingens ferrum, quod 3500 librarum aestimatur. Etiam hoc loco, itemque in scalis & earum fornicibus, in solario atque in superioribus cameris, complures fissuræ: perpaucæ in propugnaculo contiguo: & facillum Imperiale *S. Petri*, quod magna cum laude descripsit *Hugo Falcandus*, antiquus autor Normannus, plane illæsum. Omne damnum palatii sarciri potest impenitus trium millium numorum, qui *Scudi* dicuntur, judicio peritissimi Architecti, Dom. *Jo. Amici*, Drepantensis. In cubiculis dormitoris coenobii Divæ *Elisabetæ*, Sanctimonialium tertii ordinis Divi *Francisci*, quæ vocantur *Capucine*, itemque in fornice & facellis *S. Crucifixi* & *S. Elisabethæ*, ad coronidem usque, frequentes apparent rimæ. Prope magnum Xenodochium & ejus templum, ædes Dom. *Caroli la Roca* multis hiant fissuris: majoribus & magis deplorandis ædes Dom. *Marii la Rosa*, in platea Nosocomii PP. Capucinorum. In ipsis magni Xenodochii arcu majore & dormitorio convalescentium notabiles scissure: nec pauci in coenobio *S. Clare*, (ubi ad CCXXX vivunt Moniales atque educandæ) in clavibus interioribus, in arcu portæ majoris, & in tecto atrii colloquiis destinati: campanarum vero turrim totam diruendam

Monia-

Moniales curarunt. In vicino viculo, nec non in platea *de formaggi*, complura ædificia trabibus sustentata conspicuntur. In templo *Carmelitano* majore frequentibus hiant fissuris saeculum S. Crucifixi, & arcus ejus, unus ex illis quatuor, quibus testudo imminet, & fornix portæ majoris, itemque anguli & parietes dormitorii ad orientem. In Ecclesia parochiali S. Nicolai ab *Albergaria* altissima campanarum turris fissuras accepit, in scalis cochlidibus atque in muro exteriore, orientem versus, ad summum usque fastigium. Hinc in viam publicam delapsi aliquot lapides; aliusque e camera horologii, qui affixit teatrum dignissimi Parochi, *Castelli*. Prope aquæ ductum majorem, infra forum, quod Saracenice *Segeballarath*, hodie per syncopen *Ballarò* vocatur, domus Canonici, Dom. *Josephi Columnæ*, passim aperta, collapso abrupto que in conclavibus pariete. Similiter alia devasta, in planicie *domus professe Jesu*; ubi etiam illa, quam possidet Dom. *Josephus Salvagius*, in parte anteriori prostrata. In longa platea Germanorum, atque in ipso foro *de Ballarò*, pleræque ædes trabibus suffultæ: quarundam gravius periclitantium pars superior ultro destructa. Pari remedio opus habent domus complures in duabus angustis viis, quæ ad ædem Societatis S. Marie de ponticolo, spectant: huic, & aliis adhærentibus ædificiis, fulera supposita. Domus Dom. *Michaelis Buface*, Marchionis de *Gallodoro*, magnis discisla hiatus, atque in parte superiore dextra penitus collapsa, cum internecione militis stationarii, & praesidio loci, qui dicitur *XL Sandorum*. Non ita procul crassis trabibus nituntur ædes Dom. *Petri Stancampiani*. Supra aream quæ vocatur *de' Bologni*, dejecta e fastigio palatii optimi Præsidis jam diu defuncti, Dom. *Vincentii Hugonis*, statua Justitiae: id quod variis sermonibus variisque ingeniorum speculationibus animam dedit. Interædificia, quæ in hac urbis parte ad celebrem *Cassari* plateam pertinent, longæ conspicuntur fissuræ in frontispicio, muro exteriore, ædicula S. *Basilii*, cornice & testudine, magnifici templi *Salvatoris*, Sanctimonialium Basilianarum. Non procul domus *Anne Sapientæ*, viduæ, & Baronis de S. *Georgio*, sub prospectu Monialium S. *Claræ*, magnis innixa trabibus.

trabibus. Dejectæ duæ contignationes superiores domus Ad-vocati, Dom. *Ifidori Terrane*. Ceterum in hac urbis regione, præter militem, de quo dixi, nemo non solum exanimatus, sed ne vulneratus quidem. Templum & domus *S. Josephi PP.* Teatinorum, nec non domus professæ Societatis Jesu, utraque sumtuosissima atque ornatissima; multa item palatia, templo, & ædificia majoris momenti, non sine admiratione & gaudio in-tegra substiterunt.

Altera urbis pars, ubi magnificum templum cathedrale, vehementer desolata, cum ingenti civium oppressorum strage. Ipsum templum cathedrale, in toto regno maximum, idemque pulcherrimum, si exteriorem faciem, opulentissimum, si interiorem supellecilem atque singularia ejus ornamenta spe-cetes, nonnullis affectum damnis. Altissimæ duæ turres post te-studinem majorem, quam *Tribunam* vocant, plusculis fissuris re-parabilibus apertæ. Ex altera unus, duo ex altera, in duobus angulis, delapsi lapides, ad candelaborum formam exornati. In angulo turris, quæ choro imminet, a summo ad imum hiatus pertingit, cum aliis fissuris in arcibus chori superioribus, in fenestris, fornice, corona, atque ædicula *Divæ Marie di libera in-fernî*. Dejectæ etiam pinnæ ejus turris, quarum ruina disruptum in parte tectum, quod arcum chori majorem tegit, itemque operimentum organi dextri. Opus hoc est celebris nostri ci-vis, *Raphaelis la Valle*, quod, judicio peritissimorum artifi-cum, in universa Europa simile non habet: pulvere illud & calce impletum. Diffissum passim acuminatum turris cam-pagnarum fastigium, globo & lamina versatili, quæ erant in culmine, incurvatis. Hoc postea ultro diruendum, & pro cam-panna majore, cuius aliquamdiu usus nullus, IX reliquæ cam-panæ templi hujus metropolitani pulsante fuerunt. Non procul ædes Magistri rationalis Regii Patrimonii, Dom. *Anto-nii Marchese*, trabibus suffultæ. Solarium novæ Abbatie *S. Clare* multis dissectum rimis demoliendum curarunt Monia-les. E loco & situ suo dimota coronis anguli sinistri Ecclesiæ *VII Angelorum*, Monialium Minimarum. In magnifico atque Imperiali Collegio Societatis Jesu rimæ apertæ in novis dormi-

B torii,

toriis, ad orientem & meridiem vergentibus. Prope aream *Papyrii* duo integri & satis longi viculi ædificiorum corruerunt, quibus multi mortales partim oppressi, partim graviter vulnerati. Pauca feda sua manserunt: complura in vicinia fulcris habuerunt opus. Disjecta etiam pars superior Ecclesiæ *S. Procopii*, atque ædes Dom. *Hieronymi Pili*; qui tamen, una cum fratre, Abbatे *Josepho Pilo*, cuius caput vulneratum, interitum effugit. Domus Principis delle Grotte gravissimis fissuris lacerata. Aedes tribuni militum vicarii, Dom. *Bungeri*, plane prostratae. Ipse per scalas præcipitatus vulneravit pedem: conjugis afflictum caput & brachium: filia, miles, & IV alii homines omnino oppressi. Relatum est a multis, qui discrimen evaserunt, ad clamores populi, e tactis undique prorum pentis, misericordiamque & confessionem flagitantis, fenestrām occupasse bonum sacerdotem, *Josephum Galeonijum*, sed vix deproperata absolutione præcipitem factum, una cum devota illa multitudine ruinis sepultum occubuisse. Magna Dei misericordia factum, ut inviolata steterit. in facie ædium prostratarum, longa series domiciliorum publicarum merecum; quas postea publicam agentes poenitentiam vidimus. Non longe ab hoc loco templum Divorum *Cosmi & Damiani*, Monachorum qui *Minores observantes* dicuntur, magnas egit rimas, cum in frontispicio, tum in arcubus navis dextræ: ruptus etiam in parte fornix navis majoris. Infra illud templum pleraque domus fulcris firmatae. In angulo pulchritæ ædis *S. Augustini*, PP. Eremitanorum, conspicua fissura. Circa locum istum extremum XII fusculta domicilio, cum nonnullis in viculo *orphanorum*, quæ partim Ecclesiæ *Crucifixi de Lucca*, partim Ecclesiæ parochiali de *S. Cruce*, contigua. In æde PP. *Minoritarum a S. Marco* quædam conclave, itemque arcus & facellum *S. Crucifixi*, frequentibus hiant fissuris. Ecclesia focietatis *S. Stephani*, Protomartyris, cum habitationibus Diaconi, pallim disrupta. Hic, e regione areæ montis pietatis, ad viam *Pannariam*, insula ædificiorum corruit, non sine mulorum clade. Sub uno, post IV dies, inventæ duæ mulieres tertiariae, quarum una, sola aqua putei, guttatum hausta, vietam

tam toleravit. In plateis vicinis, ad planitem *S. Onupbrii* usque, complures ædes partim suffultæ, partim collapsæ, partim ruinæ proximæ. Sequitur longa via, quæ vocatur *delle Api*, ubi similiter maxima pars ædificiorum vel prostrata vel fulcris innixa. Graves accepit fissuras proxima Ecclesia Societatis *S. Francisci de Paula*. Ecclesiæ de' Macellari fornix, supra altare majus, itemque porta & frontispicium, fissuris lacerata: in viculo etiam candelariorum nonnullæ domus disjectæ. Murus, qui Ecclesiæ Monasterii *Montis virginum*, Monialium *S. Claræ*, continens, totus fulcris sustentatur. In his regionibus *Papyriti*, *Pannarie*, & *delle Api*, multi exanimati aut graviter percussi: sed & multi servati atque erepti. Testatus est bonus sacerdos, oblatam sibi mulierem, cuius ex ingenti ruinarum mole solum caput & dextra extaret: hanc manu vultum percutientem, multisque lachrymis & magna vociferatione clamantem, se non modo hanc mortem, sed tartarum promeritam, laudasse Deum, a quo ita tractaretur, confessamque atque absolutam exspirasse. Magnis etiam trabibus suffultæ domus sequentes: una ædi militum Hierosolymitanorum *S. Joannis* contermina: alia Dom. *Onupbrii Amici*, ante Ecclesiam Pisaniorum a *XL Sanctis* denominatam: porro ædes Dom. *Onupbrii Amati*, & Abbatis *Mastrilli*, in vicino viculo; & ante Ecclesiam *S. Christophori* ædes Dom. *Hieronymi Arenæ*, Advocati Fiscalis Regii Patrimonii: apotheca, cum alia domo, prope templum *S. Ajelli*: ædes Dom. *Francisci Ferri*, in area cœnobii Monialium *S. Benedicti de Cancellario*: tres domus juxta Ecclesiam *trium Sanctorum Regum*: tres aliae circa Ecclesiam *S. Paulini*. Sed & muri exteriores exedrarum colloquiis destinatarum, itemque solarium monasterii commemorati, non exigui momenti fissuras acceperunt: & ædes Dom. *Vincentii Vanni*, Judicis curie criminalis, in aula & partibus exterioribus suffultæ. Sub publico macello, prope Societatem *S. Joannis Baptiste*, iterum aliquot ædificia lignis innixa. In ea hujus regionis parte, quæ *Caffarum* spectat, gravibus signatae fissuris ædes Marchionis, Filii Ducus di *Cesarò*, *Gabrielis Columnæ Romani*. Sub prospectu monasterii *S. Benedicti a Cancellario*,

*domus Advocati, Dom. Benedicti Porcari facta inhabitabilis,*  
*& domus Dom. Francisci Merli trabibus suffulta.*

Atque hoc loco omittendum non est de casu quodam, qui contigit in *Pavia ia*, propter varias circumstantias, partim lato. partim tristi. Erat in lecto cum suo amasio pellex, quæ jam per XIX annos factidis his libidinibus se se tradiderat. Convellitur domus terræ motu arque labascit. Illa subito ingentem lapidem frangere caput infelici hominis, peccati, quod tum committebatur, focii, videt: hinc periculum æternæ damnationis agnoscentes tota contremiscit, poenitentiam agit, emendationem proponit, auxiliumque *S. Nicolai Tolentini*, cui devota erat, implorat: nec frustra: nam expedit se e ruinis, Ecclesiamque *S. Augustini* ingressa, cum multis lachrymis miraculum atque castigationem narravit: abscedit capillos, eosque in ædicula hujus Sancti suspendit, atque mores suos emendavit.

In tertia urbis parte, ubi magnificum assurgit Palatum Senatorium, multo plures & multo magis deplorandæ extinxerunt ruinae. E fastigio hujus palatii unicum dejectum vas lapideum cælatum, sine alia noxa. Domus Magistri a rationibus, Dom. *Biaggii Spucces*, plusculas accepit fissuras reparabiles, in cameris & conclavibus; quorum unum a muro illo aliquantum divulsum, qui cum tribus aliis nobile theatrum octangulare constituit, statuis exornatum & in ipsius medullio urbis situm, ubi IV majores plateæ coeunt, quibus tota urbs quadrifariam dividitur. In Ecclesia *S. Catbarine de Caffaro*, Monialium Dominicanarum, quam CL feminæ incolunt, partim religiose partim educandæ, fissura facta, a fenestra, supra portam majorem, ad cornicem usque pertingens: murus exedræ colloquiorum contiguus, & dormitoria, fulcris eguerunt. Turricula acuminata antiqui Monasterii *Marturanensis* passim lacerata; quam etiam Sanctimoniales ex ordine *Benedicti* omnino diruendam curarunt. Aedes Dom. *Francisci Moncade*, Principis de *Lardaria*, trabibus suffulta. Plateæ ab horto, fano Turcico, & fabbris ferrariis dictæ, ædificia habent partim disjecta, partim fulturis firmata. E frontispicio

tispicio Ecclesiae *S. Mariae a Populo*, vel ut vulgo dicitur, *S. Nicolai Tolentinati*, PP. Augustinianorum discaleatorum, ingens crux dejecta, cum lapidea stylobata: hiscentibus cambris cornicibusque navis dextræ, & primo quintoque arcu sinistræ. Collapsum etiam facillum novum, unica relicta pila: atque hac ruina facillum verus, chorus, Sacrarium, Refectorium, & pars Oratorii distracta. Fornix atrii magnas accepit fissuras: hic duæ columnæ ex marmore cinereo conflatae, in truncis & parte basium disruptæ. Gradus marmorei hujus conventus e commissuris emoti: cameræ, conclave & dormitoria non mediocriter lacerata: atque in pavimento longa laterum linea disjecta. Non procul ab angulo templi frequentes egit rimas domicilium Dom. Petri Trigone. Major accepit detrimentum Ecclesia *S. Marie a misericordia*, PP. tertii ordinis *S. Francisci*, quam etiam a *S. Anna* denominari supra ostensum est; una ex precipuis & maxime frequentatis Ecclesiis Panormitanis. Notabiles apparent rimæ in fornice & arcubus majoris navis atque facelli: itemque in coronis, testudinibus, angulis, pediculis, dextre potissimum navis; quæ a crassis longisque tignis, extrinsecus applicatis, fulcuntur. Una ex XII columnis marmoreis, quæ navem majorem sustentant, disrupta in trunco; & tabulæ marmoreæ in stylobata unius pile elocatae. Abiunctum ab angulo dextro frontispicii facillum *S. Nicolai*: a corruente fornice totum altare disiectum. Relictus Patribus usus navis sinistræ, quæ fissuras reparabiles accepit. In aula spatiofa truncatum ferrum in arcuum fornice. In angulo dormitorii, quod Septentrio-nes spectat, longa & lata facta fissura. Prostrata etiam domus huic Ecclesiae conterminæ, quarum bona pars ad possessiones coenobii pertinuit. Auxit terrorem non leve incendium: quippe tecla, ligna & trabes domorum prostratarum flamma arripuit, ex accensis eorum facibus orta, qui in caliginosa illa nocte quærendis corporibus amoliendisque ruinis intenti erant. Dilatavit incendium ventus, ad fenestras usque facelli *S. Antonii Patavini*: verendumque erat, ne in facillum ipsum flamma penetraret, cum jaætura scinii & magnæ statua *S. Anne*,

quæ ex puro argento elaborata isto loco conservatur. Advolarunt celeriter duo Senatores, Dom. *Franciscus Perollus*, & Dom. *Vincentius Rao Torres*, qui, spredo omni periculo, non prius destiterunt, quam ope illorum, quos in auxilium convocaverant, extintas viderent voracissimas flammas, interitum & vastitatem Ecclesiæ atque regioni vicinæ minitantes. Remoto hoc rogo inventum corpus pœ & decrepitæ anus Drepanensis, quæ, cum effugere ruinam, simul cum ceteris non posset, oppressa primum ac dein combusta periit. Proxima est ædibus devastatis platea de' Lattarini, ex qua tres aliae oriuntur plateæ, diversiorum, officinarum tabernarumque meritoriarum plenæ, ubi peregrini & muliones cum suis bestiis habitare consueverunt. Hic maxime lugenda contigit strages ac ruina: nam plerique sedes vel prostrati, vel adeo afflicti, ut novam extictionem postulent. Multi mortales hic ruinis obruti: inter quos bonus sacerdos senex Genuensis, *Franciscus Oliverius*, cuius collum ingens trabs occupavit. Plures tamen periculum, effugerunt: nec pauci e ruinis vivi extracti. Non est tacendum quod sequitur: Cum primum tremere terra inciperet, uxor *Antonii Palermi*, Panormitani, *Joanna*, purissimo conceptui Divæ virginis devota, in domo aliqua hujus regionis, flexis genibus divinam misericordiam precata, immaculatam virginem invocavit, eidemque se se commendavit. Atque ecce, collabentibus illis ædibus simul cum ceteris, e teclo lapidumque ruinis parvum formatur tugurium, sub quo, stupescientibus marito atque aliis, illæsa manet mulier, interitumque filii & familiæ, non sine luctu intuetur. Plerique peregrini in tabernis illis oppressi; pauci evaserunt aut vivi reperti sunt. Emulis in taberna olei quinque perierunt, uno servato: In taberna *Alcamensium* interemptus unus, atque unus servatus: In illa, quæ a S. *Josepho* denominatur, XX exanimati, VII vivi: In taberna *Jesuitarum* V mortui: Ex ea denique, quæ a S. *Bartolomeo* nomen habet, salvi effugerunt cum multi tum peregrini. A tergo est Ecclesia Patrum *Mercenariorum* difcalceatorum. In hac & facellum novum a summo ad imum pasim disruptum,

&amp;

& campanæ turris ablatae. Totum cœnobium non paucis fissuris laceratum, & pars solarii dejecta. Ante Ecclesiæ *S. Marie a Misericordia*, in ædibus Principis Dominæ de Montalbo, quæ cum suis e podio, per scalas, descendit, conclavia interiora, sub techo, corruerunt, occisis IV hominibus, quos inter prius quidam sacerdos externus. Idem fere accidit in ædibus vicinis Dominiæ *Conflavie Amato*, Comitis de Ragalmuto, quæ cum duabus sororibus, *Franca* & *Catbarina*, familiaribusque e ruinis evasit. A tergo horum duorum ædificiorum alia suffulta trabibus, nonnulla etiam in angulo vicii illius collapsa, qui *Aula Regis* vocatur, cum interitu III hominum & præcipitatione statutæ *Philippi II*, unde loci non men traictum. In plateis, quæ ab horto & referraria denominantur, paucae ædes collapsæ: ceterum pleraque & hic & in viculo fani Turcici, porroque sub Ecclesiæ *S. Catbarina de Casfaro*, ad templum usque *S. Marie a misericordia*, trabibus suffultæ: preter eas, quæ in platea de' Lattarini corruerunt. Similiter in platea *S. Vincentii*, & a tergo Ecclesiæ *S. Marie agoniæ zantium*, (cujus frontispicium, propter irreparabiles fissuras, ultro destrunctum) complures domus, una cum iis, quæ in altero viculo, ad Ecclesiæ usque *S. Joannis*, PP. Clericorum quos *Minores* vocant, sequuntur, fulcimentis firmatæ: nec paucæ illarum aut penitus disiectæ aut partibus superioribus truncatæ. Non procul a Monasterio *S. Rosalie* fulcra postularunt ædes Dom. *Gasparsis di Napolis*, Marchionis de *Melis*, quæ notabiles passæ fissuras, itemque ædes Dom. *Onuphrii Jamii*, prope cœnobium seminarium penitentium tertii ordinis. Juxta forum, quod *Fera vetus* dicitur, asperriime quassatum monasterium PP. *Cassinenium*, a *S. Benedicto*, *S. Ludovico*, & *S. Carolo* denominatum, nec non templum hujus cœnobii, in facillis *S. Caroli* & *S. Benedicti*, in cornice, in arcu, camera & choro. Latas accepit fissuras domus Principis de *Mezzojuso*, Dom. *Biaggii Corvini*, magnisque trabibus suffulta est. Parem habent fulturam aliae ædes in viculo *Magistrorum aquæ*, itemque in eo viculo, qui portam respicit majorem Ecclesiæ insignis commendæ della Maggione, quæ caput est reliquarum omnium,

Ordini

Ordini Teutonico, in hoc regno, propriarum: hæc fissuris nonnullis reparabilibus affecta, in turri atque in arcubus forniciis navis dextræ. In platea vitriariorum, *Conservatorium* monialium, quæ *male maritata* vocantur, passim disruptum est. Ante Ecclesiam Divæ *Mariæ a Pietate*, Sanctimonialium Dominicanarum, ædes Ducas de *Angelo* fulcris sustentantur. In magno cœnobio *S. Mariæ ab Angelis*, quod Monachi possident a minori observantia dicti (*Ganciam* vulgo vocant,) in nova turri campanarum, rimæ quedam reparabiles apertæ, si neilio detrimento. In platea a *Lauru* denominata, ædes Marchionis *Barzellini*, itemque ædes Marchionis *della Torretta*, partim prostratæ, partim trabibus suffultæ. Prope turrim antiquam, in domo Principis de *Poggio reale*, a tergo *S. Francisci*, Fratrum minorum, quos *conventuales* vocant, multæ apparent fissuræ reparabiles, supra portam majorem, & in primis supra forniciem navis dextræ; quibus deformatae imagines Sanctorum, expressæ penicillo celeberrimi pictoris, *Petri Novelli*, civis *Montis regalis*. E fornice, prope facellum *Divi Patriarchæ*, ornamenta quedam gypsata, magnæ molis, & longorum crastorumque funium forma, deciderunt, partemque perfregerunt areæ magni Organi, & in pavimento V lapides sepulchrales marmoreos. In proxima platea ædes *Michaëlis Loredani*, mercatorumque *Dominici & Antonii Procopii*, item Comitis de *S. Adriano*, Dom. *Michaëlis Amori*, Baronis *Cicata*, Marchionisque *Lungarini*, quæ magnificum & ornatissimum ostentabant frontispicium, & aliae nonnullæ, in partibus superioribus truncatae. Juxta fontem sinistrum areæ *S. Francisci*, notabiliter discissum palatium Ducas de *Serradifalco*. Infra cœnobium *S. Francisci*, in platea quæ dicit ad *Cassarum*, pleraque ædificia ingentibus suffulta lignis. Area sive planities maritima, quæ ante palatium *Claramontanum* (nunc Dominorum Inquisitorum) latissime patet, non sine lachrymis spectari potest: corruit enim insula multarum ædiuum, ab utroque latere Ecclesiæ *S. Joannis Neapolitani*, quæ aream istam respiciunt, & maximam partem ad Abbatis, *Francisci Zizze*, possessiones pertinent. Non pauci hoc loco exanimati aut graviter percussi. Sed & ædes

ædes collaterales, supra viam magnam *Caffari*, adeo laceratae atque aperte sunt, ut novam plane exstructionem requirant; paucæ illæstæ prope Ecclesiam commemoratam, quæ ipsa quoque fissuras habet supra arcum & ædiculam majorem, itemque supra fornix anguli dextri, & juxta organum: in domicilio Diaconi passim fissuræ reparabiles factæ. In ea hujus regionis parte, quæ ad celebrem *Caffari* plateam pertinet. ædibus *Salomoni*, *Biaggii Marini*, mercatoris, & aliis nonnullis fulcra supposita: unius pars superior collapsa, in angulo viæ, quæ dicit ad Ecclesiam *S. Marie di visitapoveri*: atque in toto illo viculo, & circa eum, complures domus trabibus sustentantur: quibus neque ædes Principis de *S. Laurentio* carere potuerunt. Ceterum illæstæ etiam in hac urbis parte ædificia, templa & palatia numero non pauca; ut de popularibus habitationibus nihil dicam.

Restat quarta pars, ubi augustum templum *S. Dominici*, PP. Prædicatorum, itemque Castellum Regium ad mare. Etiam hic deploranda multorum hominum atque ædificiorum strages. E frontispicio nobilis theatri octangularis, qua parte ad hanc urbis regionem pertinet, duo delapsi globi lapidei. In Ecclesia *S. Rochi*, Orphanorum, trabes sustentant majorem arcum: proxima domus Dom. *Jo. Brancacii*, tanto impetu concussa, ut partem superiorem demoliri necesse esset. In Ecclesia *S. Marie della volta* scissus fornix, atque ingens ferrum fibula medium disruptum: e fenestra anteriori faxum non mediocre decidit: domus utrinque contiguae, itemque nonnullæ in regione *Conciaria* (ubi etiam duæ collapsæ) fulcris sustentantur. Corruit tectum & pars solarii, frequentesque apparent rimæ, in domo Abbatis. *Petri Vitali*, Secretarii Excellectissimi Senatus; qui non sine magno labore matrem duosque nepotes vivos extraxit. In viculis *delli Formari* & *dell'Anitre*, porroque in magno foro rerum venalium, quod vocatur *della Bocceria*, pleræque domus afflictae, quedam prostratae, aliae partibus superioribus truncatae: nec paucæ trabibus suffultæ, periade ut in plateis *d' Mezzani*, *Berrettonari*, *Loggia*, *d' Pannieri*, *Argintieri*, & *Spadari*; e quibus duæ postremæ

sex domos habent collapsas; vicus angustus, quo ad Ecclesiam S. Eligii itur, tres; & area del Terciana quinque. Juxta fontem marmoreum, *Garaffellum*, ex quo copiose & crystalline sanguis aquæ, ædes Ducis de *Sperlinga*, Dom. Jo. Steph. *Ometi*, paucim disruptæ, trabibus fulciuntur. Ex angulo turris campanarum Ecclesiæ parochialis S. Antonii Abbatis, ingens globus lapideus delapsus tectum confregit & tria conclave, in domo mercatoris cuiusdam pannorum, totidemque homines feriit. In VIII arcubus hujus templi profundæ linea impresæ; & in viculo portæ vicino compluribus ædificiis fulcra subjecta. E nobili frontispicio marmoreo Ecclesia S. Matthei vas marmoreum præcipitatum perfregit fornicem ante facillum immaculatæ virginis. Apertæ etiam nonnullæ rimæ in fornice alæ dextræ, prope frontispicium Ecclesiæ parochialis S. *Jacobi*; itemque in domicilio Diaconorum, in turri campanarum, & in vicina domo religiosa S. *Ieronis*. Non longe a templo S. Petri, cui cognomen *Balnearii* impositum, ædes Dom. *Philippi Cordove*, aliæque in viculo *Penitentiariae Inquisitionis*, atque in ista vicinia, trabibus suffultæ: neque etiam nullæ fissuræ conspicuntur in palatio Præfetti militum & Castelli ad mare. In monasterio Sanctimonialium Carmelitanarum, quod *Valverde* dicitur, vehementes sustinuit concussus solarium & turris campanarum, ex qua ablata campanæ. Deciderunt aliquot lapideæ columellæ & cornice novæ areæ magnæ Imperialis, ante magnificum templum S. *Dominici*, Ordinis PP. Prædicatorum; ubi hoc ipso mense erigenda erat ingens columna & statua ærea sanctissime atque immaculatæ virginis, impensis aerarii Regii, atque auspiciis Augustissimi piissimique Monarchæ nostri, CAROLI VI, Imperatoris atque Regis Hispaniarum; ad servidissimas instantias Tomasi Marie Napoli, Panormitani, ex Ordine PP. Prædicatorum. In Ecclesia S. *Eulalie* clericorum conviventium, ex arcu quodam solarii ingens lapis corruit, quo diffusa pars tecti: apparent etiam fissuræ nonnullæ reparabiles supra cornicem, sacrarium, & horologium; atque in subiecto viculo non paucæ domus fulcrorum invenerunt subsidium. Notabiles fissuræ in Ecclesia S. *Magiae*,

*Marie*, quæ *nova* dicitur, propinquam minitari ruinam videtur. In vicina platea *arculariorum*, ad tabernam usque, quæ vocatur *de Campana*, numerosissimarum ruina ædium, atque miserrimus incolarum, propter angustiam loci, interitus merito lugetur. Si quæ substiterunt domus, ex adeo quassatæ sunt, ut nova omnino ædificatione opus habeant. In area *S. Sebastiani*, ex ædibus Principis *de Rocapalomba* lapidum acervus factus; sub quo sepulta Princeps mater, Domina *Damiana Galletti & Corvino*, una cum duobus nepotibus, *Josepho Galletti*, annorum IV, & *Rosa Corvino*, annorum VII: ceterum Princeps filius, qui e podio per scalam descendit, ope alicujus portæ, salutem reperit. Tres domus huic contigutæ, sed minoris momenti, cum internecione V hominum corruerunt. Taberna Regia, non longe distans, passim lacerata, & paucæ quædam domus, quæ isto circuitu continentur, ex parte saltim collapsæ. Quæ in hac urbis regione *Cassari* attingunt famosissimam plateam, firmatæ fulcris, hæ sunt: ædes Dom. *Petri Martiani*, Procuratoris Fiscalis Regij patrimonii; Dom. *Mich. Perremuti*, Judicis Magnæ Regalis Cameræ; Dom. *Joannis Gravine*, Ducus de *S. Michaeli*; *Marci Antonii Marini*, atque *Io. Ant. Scassi*, mercatorum; & Dom. *Francisci Romei*, prope Regiam Vicariam. Domus *Michaelis Mureti* omnino prostrata: evasit tamen & ipse, & alii e proximis domibus atque officinis subiectis. Unus obrutus ruinis bonus sacerdos, *Ignatius Stassi*. Hic, cum primum sentiretur terræ motus, relicto *Mureto*, patruo, cui tum ministrabat, ægrotto, in aliud conclave se receperat, ubi flexis genibus oraret, nudatumque tergum flagro proscinderet, ante charissimum immaculatæ virginis simulacrum; inventus postea cum *Breviario*, in quo Psalmi poenitentiaz evoluti. In Ecclesia *Diva Marie*, quæ a portu *salvo* dicitur, profundâ linea aperta, cum in cornice exteriori, tum & in aliis quibusdam partibus. Aedes Baronis de *Mercatobianco* partim disruptæ, partim, qua mare & molem minorem respiciunt, omnino prostratae. Domus Marchionis *Mirailvii*, nec non mercatoris *Lucensis*, *Horatii de Chrijophano*. Dom. *Jo. Valdes*, & Marchionis de *Savochetta*, vehementer quassatæ, &c,

qua mare spectant, suffultæ. Paucæ apparent rimæ in Xenodochio *S. Bartholomei*, supra fornicem, in decussatis arcubus valetudinarii. Sed & in ipsa vasta & marmorea portæ *Felicis* mole, per quam ingressus in urbem, e mari Græco orientali patet, fatis manifesta publici mali vestigia deprehenduntur. Nihil tamen detrimenti passa in hac urbis regione templo sumtuosa *S. Dominici* & *S. Zita*, PP. Predicotorum, itemque Ecclesia magnifica *S. Ignatii Martyris*, quam Patres Oratorii *S. Philippi Neri* possident, atque alia templo, palatia, & ædificia majoris momenti, domusque populares non paucæ.

Vulnerati hoc funestissimo casu, & partim in Xenodochium magnum, partim in Nosocomium *S. Bartholomei* illati homines CXXXVIII: interierunt CCXXVI. Hi, a die secundo ad septimum Septembris, in variis sepulti Ecclesiis: de quorum numero, & die sepulturæ, ut eo certius constaret, avthentica Ecclesiarum testimonia postulavit Excellentissimus Senatus. Nec tamen sine ratione plerique arbitrantur, addi ad utrumque numerum paucas saltim decades posse; cum quod multi vulnerati & prima statim nocte protraæli, in ædes cognatorum se curandos contulerunt; tum quod in relatione Senatus Ecclesia nonnullæ omisæ, & sepultura (absente etiam, die lunæ, Diacono parochiali) cum summa festinatione concessa, iis in primis cadaveribus, quæ die IV, V, VI & VII repetitæ jam tum putrefactæ incepérant. Agnoscere hinc ingentem Dei misericordiam licet, qui gravissimo hoc casu, ex civitate, quæ plusquam centena & vicena millia hominum complectitur, non multo plures quam quadringentos, partim e vita evocare, partim justa & paterna sua castigatione exercere voluit.

E tribus millibus clericorum, qui seculares vocantur, quatuor saltim boni sacerdotes perierunt; e CXXXII illustribus principibusque Personis una *Rocopalumbæ Princeps*; e tot centenis Sancrimonialibus, in XXII nobilibus monasteriis & XIV conservatoriis, itemque e LII conventibus & cœnobibis Monachorum, plane nemo. De cetero damnum ædificiorum, quæ vel collapsa, vel truncata, novam extruptionem requiri-

requirunt, non nisi ter decies circiter centenis millibus numerum sarciri posse, a peritis harum rerum judicatur.

Ad conspectum deplorandi casus exsplenduit in ipsa obscuritate tristissimæ illius noctis, cum ardore charitatis, zelus illustrissimi nostri Archiepiscopi, *P. Josephi Gafch*, ex ordine *S. Francisci de Paula*; qui nihil obstante debilissima & cadente senectute, in podium palatii sui se contulit, quo & vultu & paterna sua benedictione solaretur miseros, in aream templi cathedralis confluentes. Sed & mane alterius diei, regiones devastatas, & lanienam gregis sui, ipse flens coram intuitus est. Visitavit monasteria; animavit sanctimoniales fiducia divinæ clementiæ; viditque respondentem pietatem & constantiam tot virginum Deo sacrarum, protestantium, se in sanctis suis claustris, in choro atque oratione permanfuram, auxilioque & tutelæ coelestis sui sponsi, JESV, confidentes, de nulla suæ cogitaturas. Ubicunque per urbem incessit, largas dedit eleemosynas. Ceterum ad placandum iratum Numen, generale indixit jejunium, ante diem Nativitatis Divæ Virginis; quod, quantum quidem ex testimoniosis multorum patrum familias constat, etiam ab ipsis innocentibus observatum infantibus est: ordinavit parochis & regularibus sacras missiones; atque universo clero cum seculari tum regulari, ad d. IV Sept. qui S. nostræ Rosalie festivus est, solemnum supplicationem & pœnitentiæ pompam præscriptis.

Nec minus alacris fuit cura Dom. *Philippi Sidoti*, Vicarii Generalis, qui ista ipsa nocte sine mora descendit in aream vicinam templi cathedralis; & piis servidisque exhortationibus excitavit ad fiduciam Divinæ clementiæ ingentem turbam, eo loco confluentem & summo opere perterritam. Audivit confessiones plurimorum, ac postea S. Evcharistiam in templo cathedrali constanter administravit.

Vix aurora die lunæ comparuit, cum fulgere videremus devotionem Canonici Cantoris, Dom. *Alonzi Fernandez*, præcipui Ecclesiæ hujus metropolitanæ ornamenti, atque unius e deputatis ditissimi ornatisimique facelli S. nostræ Rosalie. Celeriter ille presto fuit, ordinatoque altari, magno cum fervore

follicitavit, uti arca sacrarum reliquiarum hujus Divæ venerationi publicæ exponeretur: extitique etiam sequentibus diebus ejus opera indefessa: nam & adfuit sacræ ædicula in profundam usque noctem, & ornamenta cultumque ejus studiosissime promovit; idque sine ulla intermissione sacrarum functionum & horarum canonicarum, a ceteris quoque Canoniciis & clero diligenter observatarum: neque enim illo toto tempore cessavit chorus.

Ad instantias quorundam Canonicorum revelatum etiam simulacrum devotissimum Sanctissimi Crucifixi, in eodem templo cathedrali; ad quod frequentissimi concurrerunt affliti cives, gratiam & misericordiam, cum ingenti lachrymarum effusione, precantes.

Dic, quem paullo ante dixi, deducta pœnitentiae pompa, e templo *S. Francisci Minorum Conventualium*, ad Ecclesiam cathedralē Præcedebant regulares omnes, qui interesse pompis ejusmodi generalibus solent, universus clerus, Parochi, Beneficiarii, Canonici, lugubri habitu, sine ipsorum insignibus, sine pallio, sine candido collari; omnes cum coronis spinarum circa tempora, cum funibus circa collum, & nudis pedibus. Inter hos postremus sub umbella incedebat ipse Archiepiscopus, spinis coronatus, & chordam circa collum habens, qui in altum Christi cruci affixi simulacrum, suis manibus sustentatum, oculos lachrymarum plenos convertebat. Sequebatur Excellentissimus Senatus, sine togis senatoriis; finemque faciebat numerus civium innumerabilis: toto aere ad voces, preces, & gemitus pœnitentis populi resonante. Cum per ventum esset in templum cathedralē, benedictionem dedit, inter continuas populi lachrymas atque vociferationes, Archiepiscopus: jamque in eo erat ut concionaretur: sed animi deliquium sentiens in palatum se recipere coactus fuit: cuius loco P. *Jo. Antonius Genuensis*, e Societate Jesu, orationem habuit. Senatores panem comederunt evcharisticum; quorum exemplum securus est populus innumerabilis.

Hæc pompa ceterarum omnium exemplum fuit, quæ deinceps quotidie, ad diem usque XXI Sept. a sacerdotibus, regulari-

gularibus & secularibus, utriusque sexus, omniumque ordinum & graduum, ad Ecclesiam cathedralem deductæ sunt, quo & gratias agerent Deo, propter liberationem a gravissimo malo, & sacra uterentur communione. Has ego nunc ad memoriam posteritatis, recensebo singulas, juxta ordinem diuinum, quibus ad templum pervenerunt. Vulgo autem incessanter nudi pedes & coronis spinarum cincti, flagris se percipientes, (quod a multis ad sanguinis effusionem continuatum) litaniasque & alia devota carmina cantantes. Accepi hæc omnia a diligentissimo ac sincerissimo Canonico, Dom. *Antonio Mongitore.*

Die IV Sept. universi processerunt Ministri Xenodochii magni: unus Diaconorum crucem tulit: Præfetus accuratisimus, *Emanuel Inniquez de Abarca*, sanguinem suum exercuit flagello.

#### D. V Congregatio Jesu & Mariæ.

D. VI. PP. de Societate Jesu ducenti atque undecim, tam clerici quam sacerdotes. Postremi erant Provincialis, P. *Petrus Maria Reggius*, Panormitanus, qui signum servatoris cruci affixi portabat, & P. *Antonius de Vincentio* Praepositus Domus professie, cum cruce. Sermonem habebat P. *Marcus Silverius Sbatti*. Eodem die processit Societas, que denominatur ab *Ecce homo*; Societas quinque plagarum; Societas S. Dionysii; Societas XL sanctorum martyrum; Societas S. Dimæ; Societas candidorum; Societas charitatis; (sunt hæc duæ societates Equitum atque illustrium personarum:) Congregatio de succursu, ad S. Augustini; atque ingens virginum chorus. Post meridiem concionatus est P. *Petrus Ant. Bruno*, Capucinus. Processerunt etiam Patres a minori observantia cognominati.

D. VII Societas S. Richardi; Congregatio de via sacra Ganciæ; Congregatio de die Veneris, in domo professæ Societatis Jesu; Tertiarii seculari Ganciæ; Piscatores de porta Græcorum & Victoriarum, numero trecentri, sacra usi sunt communione in Gancia. Congregatio Jesu & Mariæ, prope S. Cosmum. Patres Teatini, & simul cum iis Patres de Congregatione oratorii: crucem tulit Præpositus S. Josephi, P. *Gaetanus*

nus

*nus Cortone*; postremus signum Servatoris cruci affixi portavit P. *Simon Zati*, Praepositus Olivellie; concionatus est P. *Mauritius Barzellini*, Teatinus. Congregatio S. Francisci Borgiae, in domo professa, una cum congregatione Nobilium, e regione palatii Principis di *Reffadale*; Societas S. Raimundi; & Mercenarii discalceati. Concionatus est P. *Ignatius de S. Raimundo*. Porro societas S. Bernardi & S. Francisci, qui Capucini minoris dicuntur. Sermonem habuit beneficiarius *Sebastianus Scornione*. Societas trium sanctorum Regum; Societas de S. Angelo Carmelitano; & Patres cruciferi. Concionatus est P. *Andreas Bertolini*. Congregatio S. Rosalie; Congregatio Ss. Sacramenti, eparochia Albergariensi; Societas S. Sophie; Unio venditorum aquarum vite & frigidæ; Societas de bene moriendo; Congregatio Ss. Rosarii S. Dominici; Societas S. Petri martyris; Societas Ss. Sacramenti, e parochia S. Crucis; Societas decem millium Sanctorum Martyrum; Societas S. Paulini; Societas *delli morati* ad D. Augustini; Societas misericordiæ; complura paria feminartum poenitentium. Post meridiem hujus diei expositum Ss. Sacramentum in Sacello S. Rosalie; quod etiam sequentibus diebus nunquam intermissum; alternatim concionantibus duobus Missionariis, ab ipso Archiepiscopo vocatis, P. *Jo. Antonio Genuensi*, e Societate Jesu, & P. *Petro Antonia Bruno*, Capucino.

D. VIII. Infantes dispersi, a quibus portatum *Ecce homo*; Confraternitas de S. Josaphat, Calabrienium; Societas S. Annæ, sub titulo Gratia; Congregatio Jesu Mariæ, ad D. Mariæ *della volta*; Congregatio de die Veneris ad S. Joseph; Societas custodiaz S. Joseph; Sex congregations Conventus Carmelitani, puta duæ de Scapulari, una de S. Elia, una de die Veneris, una de die Saturni, & una de die Solis; Congregatio S. Vincentii Ferreri; Congregatio Jesu & Mariæ, in via Scopariorum; Societas S. Theobaldi; Societas SS. Helenæ & Constantini; Societas S. Servatotis; Congregatio S. Theobaldi; Congregatio S. Placidi ad Ganciam; Congreg. S. Joannis de Deo, cum Patribus qui vocantur *Benfratelli*; Societas S. Annæ, de Conventu Mariæ de misericordia; Congreg. Jesu & Mariæ ad *Beneditoris*,

\* ditoris, & S. Nicolai ab Albergaria, simul; Societas S. Joachimi; Congregatio refugii ad misericordiam: Congreg. Crucifixi, a tergo Parochia S. Jacobi; Societas S. Catharinae Olivelle; Gongr. pauperum in Collegio Societatis Iesu; Confraternitas SS. Cosmi & Damiani; Congr. S. Olivæ, ad S. Gregorii; Congr. Nobilium, in domo professa, calceatorum; Societas S. Spinæ; Societas Carmelitana: Congr. de Sabbatho, ad S. Nicolai Tolentinatis; Societas Rosarii S. Dominici & S. Zita simul; Societas S. Hieronymi; Societas S. Christinae veteris; Societas S. Gaetani; Societas S. Mariæ a portu; Societas pacis; omnesque nobiles & illustres personæ, e primariis urbis regnique dominibus, cum suis familiis discalceatis; Congr. tyrocinii PP. Jesuitarum; Sociates immaculati conceptus Divæ Virginis, & S. Laurentii, simul; Societas S. Mariæ majoris; Societas S. Onuphrii; Societas S. Ieronimi; Societas S. Olivæ & S. Homoboni, sartorum; Societas S. Joannis *la Calca*; Societas S. Mariæ ab *Itria*; Societas S. Alberti; Societas S. Rosalia; Societas agonis Domini; Societas unionis & conceptionis, e Parochia S. Antonii; Societas nativitatis. Post meridiem: Societas Parochiæ a Burgo; Congr. secreta Collegii; Congr. XXX martyrum, e Gancia; Unio animarum purgatorii, ad S. Matthæi, cum sacerdotibus Ecclesie illius frequentissimis: postremus erat Diaconus, *Jacobus Catanzaro*, cinere confpersus & simulacrum Christi crucifixi portans. Complura etiam infantum & seminarum paria, tum ante, tum post meridiem processerunt; quorum non pauci se ipsos, ad effusionem sanguinis usque, flagellarunt. Hac nocte falsi quidam rumores, de iterando terre motu, sparso; quapropter a multis in areas & loca urbis ampliora concursum. Eadem nocte aperta Ecclesia Patrum de ordine S. Trinitatis, in area regii palatii; quo regionis hujus incolæ vulgo confugerunt. Aperata etiam Ecclesia Monialium S. Elisabethæ, ibique cum maximis penitentiæ signis divina implorata clementia.

D. IX Patres Carmelitani discalceati, singuli hominem pauperculum dextro humero sustinentes; concionatus P. *Leandro da S. Geltruda*. Societas Sacramenti, Parochiæ *della Calza*; Congr. de VII doloribus Divæ Virginis; Congr. *delle Bizzocche*

*della Ganzia*; Discipuli scholarum piarum, cum Patribus eaurundem: fermo habitus a P. Philippo Scoma; Congr. S. Josephi ab Arimathia; Confraternitas S. Marie de Gracia; Societas S. Conradi; Congr. Jesu & Marie de foro vetere; Societas Eremitarum ad S. Nicolaui Tolentini; Discipuli VIII scholarum privatarum; Societas S. Marie de consolatione, ad S. Mercurii; Societas de S. Marco, cum PP. Clericis regularibus Minoritis; Societas de S. Vincentio Ferreri; Societas S. Ursulæ, cum questuariis Comœdiarum; Congr. Sacerdotum super angelos; Societas assumptæ; Societas S. Pauli, primi Eremitæ; Societas S. Marie de Savona; Societas de misericordia, cum PP. mercenariis; Societas S. Sebastiani de Calatrava; Societas de Ss. Sacramento Ecclesiæ cathedralis; Curia tonsorum; Societas S. Crispini; Dominæ regionis de Terracina, numero circiter quadringentæ & quadraginta; & complices earum ordines ex aliis plateis. Post meridiem, Societas de angelis, cum Conv. PP. minorum Observantialium de Gancia, qui portarunt *Ecce homo*.

D. X Congr. Jesu & Marie, prope Tyrocinium PP. Societatis Jesu; Societas & Congr. angeli custodis, stipitorum; Patres minoris observantie reformati, cum miraculofo *Ecce homo*; Conventus S. Marie a Jesu. Unus eorum concionatus, sed multi suis manibus ad sanguinem percussi. Societas S. Francisci Borgiæ; Congr. de elevatione Ss. Sacramenti; Unio Musicorum & artificum instrumentorum, numero octoginta; Congr. Jesu & Marie, prope S. Andree; Discipuli scholarum inferiorum Collegii Societatis Jesu, magno numero; Congr. S. Rosalie; Unio fatellitum remigibus praefectorum; Diversæ clasæ discipulorum e scholis privatis; Societas resurrectionis Domini; IV Congregations de conventu S. Zite; Curia coriariorum; Societas S. Francisci de Paula; Congr. S. Joachimi; Congr. S. Stephani; Societas S. Lazari; Societas S. Marie de ponticulo; Unio Ss. Crucifixi de Lucca; Societas Annuntiatæ de Lilio; Congregatio S. Marie di Visitapoveri, atque in ea Princeps de Castroli & Roccaflorida, Dom. *Franciscus Bonanus de Bosco*; Societas S. Jacobi; Societas de sanguine & vultu Christi; Societas S. Joannis

annis Baptiste; Societas de Nomine Jesu, viridum; Infantes Conservatorii di Suor Vincenza Amari, a tergo S. Georgii; Domine de regione portæ di Montalto. Post meridiem: Congr. Sacerdotum in domo professa, atque inter eos Canonici & Clerici Sacelli Imperialis S. Petri, in facro Regio palatio, sine ipsorum insignibus. Conventus S. Augustini, cum ferculo sive machina portatoria S. Nicolai Tolentinatis; Societas S. Marthæ & S. Laurentii; Societas sacerdotum ad S. Dominici; Patres Capucini, cum imagine D. Virginis dolorosæ, quod portatum a IV Nobilibus; complures Dominarum classes.

D. XI Congr. de S. Antonio Patavino, ad Misericordiæ; Patres Benedictini Cassinenses & Olivetani. Crux portata ab Abbatte S. Placidi, P. Francisco Belacera, & simulacrum crucifixi ab Abb. de Spiritu S. Patre Antonino Alberto, Olivetano: concionatus P. Robertus Garsia, Benedictinus. Disposuit atque ordinavit hanc pompam pietas & zelus P. Michaelis del Giudice, Cassinensis, & Abbatis S. Caroli; quæ adeo nova atque insolita, ut laudes admirationemque universæ civitatis poenitentis promereret. Porro Congr. secreta. Conventus de monte S. cum Patribus ejusdem conventus; Dominæ circiter CCL, sed modestiæ caussâ calceatæ; processerunt e collegio Societatis Jesu: crucem portavit vidua Comes de Ragalmuto, Domina Conflantia Amato: concionatus P. Spatti, quem supra nominavi. Porro Congr. de Crucifixo; Congr. sellariorum; ingens poenitentium exercitus, atque inter eos multi Nobiles & titulis insignes, sermonibus commoti Caroli Pelaez, Ecclesiæ cathedralis beneficiarii, in missione ad Ecclesiam Crucifixi, in media platea, quæ dicit ad Montem regalem, extra urbem: Crucem tulit ipse Carolus, & postremo signum crucifixi Mamilianus Cozzo, Canonicus Decanus ejusdem Ecclesiæ cathedralis, Porro Societas S. Antonii; Societas IV Sanctorum coronatorum; Congr. della Sciacbica ad D. Josephi; Societ. & Congr. S. Josephi; Congr. de expositione Ss. Sacramenti; Societ. de VII Angelis; Congr. de S. Athanasio, S. Sophia, Jesu & Maria, simul; Unio Chocolatiorum; Societas Jesu Mariæ ad S. Isidori, cum Congreg. Jesu Mariæ ejusdem Ecclesiæ; Collegium de filiabus Mariæ, prope

ædem S. Petri *Nolaschi*; Confraternitas S. Paschalis de *Baylon*; Congregatio Carmelitana. Post meridiem: Congreg. Mariæ de *Littera*, Mellanensium: signum Crucifixi portatum ab Abate *Antonino Morabito*; Patres conventuum S. Dominici & S. Ziteæ: portavit crucem P. M. *Hyacinthus Lavignera*, Prior S. Ziteæ, & signum crucifixi P. M. *Petrus Antonius Majorana*, Prior S. Dominici. Congr. Sacerdotum ad S. Josephi; Curia scapulariorum; Societas Carmelitana & Congr. dell' *Abbitino*, sub cruce PP. Carmelitanorum, cum S. Spina in feretro; Congreg. Fæceraldotum Olivellæ: crucem tulit Canonicus Abbas, *Josephus Sylvester*. In area urbis octangulari orationem habuit *Balthasar Caruso*, Beneficiarius Ecclesie cathedralis: multi se flagellarunt. Porro IV curiæ S. Agathæ, quæ dicitur *la pedata*, cum Patribus Augustinianis reformatis; Congregatio D. Mariæ de gratia, ad hortum: unus ex illis fratribus nudam faciem spineto induitus sanguinem fundebat: nonnulli crucibus affixi: alii eas in humeris gestabant. Hac vespere, post horam noctis primam, publicum luctum significarunt pulsæ campanæ templi cathedralis & complurium aliarum Ecclesiæ, maxime regularium: nam d. IX hujus mensis ordinaverat Archiepiscopus, ut die duodecimo justa funebria fierent, pro animabus eorum, qui terræ motu oppressi.

D. XII Cantatum mane, in Ecclesia cathedrali, nocturnum mortuorum carmen, assistente Domino Archiepiscopo. Post *Missa* cum concentu musico decantata. Denique ab Archiepiscopo data absolutio ad tumulum. Pulsæ omnes campanæ, non modo in hac, sed & in aliis Ecclesiis Regularium, Monasteriorum, Societatum & Congregationum. Procesierunt Societas & Unio plaustrariorum, magno numero; Artifices capillamentorum; Societas de S. Thomaso; Congregatio Ss. Crucifixi, ad S. Hypoliti. Post meridiem: Aeditui omnium Ecclesiarum.

D. XIII Longobardi, cum XVI facibus, ad S. Rosalij: Sermonem habuit unus ex eorum fæceraldotibus; Fiscales & aerarii curiæ Archiepiscopalij; Unio de S. Spina; Dominæ de Papyrito, absolutæ a peccatis, cum Patribus minoris observant-

servantiz, de conventu SS. Cosmi & Damiani; Exercitus hominum omnis generis, de porta S Georgii; Societas Sacramenti, de S. Hypolito, cum macellariis; Congregatio S. Mariæ *delli Perreri*; Pharmacopole; Sutores, quos inter VIII Hussari, qui ad effusionem sanguinis se ipsi flagellarunt; Hortulanii, incredibili numero. Congregatio Ss. Crucifixi de Lucca, Textorum; Collegium Aromatariorum; Societas S. Mariæ Magdalene *de Pazzis*. Post meridiem: Unio crucifixi ..... Congregatio S. Josephi ab Arimathia. Vespri: Deputati novorum vectigalium, cum ipsorum Ministris, collectoribus atque apparitoribus.

D. XIV Tribunal Sacri Officii, exemplarissimi Domini Inquisitores, *Josephus Lucano*, *Biaggio de Orolis*, *Theodorus de Laurentius*, cum ipsorum Ministris, Consultoribus, Qualificatoribus, magnaen hominum se ipsos flagellantum turba; cum Societate Assumptæ, & Congregatione de piscatu. Concionatus est P. M. *Onuphrius Junta*, Panormitanus, e tertio Ordine S. Francisci, *Qualificator & Consultor*. Portarunt signum Ss. Crucifixi secretioris camera, quod inde nquam antea prolatum. Post meridiem, coqui & pistores dulciorii; Sacerdotes de regione S. Hippolyti; Dominæ de regione S. Crucis, portante crucem Domina *Joanna Moncada*, Duce de S. Joanne. Patres S. Francisci de Paula, cum Congregatione de hoc Sancto cognominata, sub cruce Patrum; feretro portarum lignum S. Crucis cum S. Francisco de Paula in genua provoluto; Denique complures classes feminarum.

D. XV Augustiniani discalceati, cum congregazione & societate S. Mariæ *di Belvedere*, cuius imago portata; Unio S. Mariæ de Lilio, prope *admodum* S. Augustini. Curia Calderiorum; Congregatio S. Hippolyti; Curia fartorum, cum statua S. Olivie; Congregatio de nativitate Domini, in domo professa; Confraternitas S. Isidori, civium; Societas S. Nicolai *di Bari*; Unio operariorum; Congr. de monumento, cum defuncto Servatore; Congr. de *Ecce homo*, cum simulacro ejusdem.

D. XVI Nocte, circa horam decimam, iteratus terre motus. Processit Congregatio S. Mariæ a gratiis, in platea de lauro dicta. Post meridiem: Capucinæ Tertiariæ: concionatus P. Rosarius Maria de Amico, Panormitanus. Conditoris, cum Ecce Homo. Patres e tertio ordine S. Francisci, trium conventuum, de S. Maria a Misericordia, de Zisa, & de S. Nicolao: Signum Crucifixi tulit P. M. Joseph Maria Leo, Provincialis; cum Tertiariis ipsorum secularibus, & Congreg. de Refugio, & de S. Antonio Patavino, cum Ecce Homo: Sermonem habuit P. M. Jo. Tomaso Truculensis, ad populum frequentissimum, in magna area templi cathedralis, ubi tum prædicare solebat Missionarius e Societate Jesu.

D. XVII Exierunt e templo Collegii IX Husari, sanguinem flagello exercentes. Processerunt etiam aliae Societates & Congregationes; nec non clausæ aliquot feminarum, tanta frequentia, ut de numero & titulo non satis liquido constare potuerit.

D. XVIII Congregatio S. Mariæ ab arcu, *de' Mezzani*; Custodes omnium Ecclesiarum; Congregatio S. Marie agonizantium: quos inter aliquot Canonici, Professores legum, & Nobiles; itemque Marchio di Geraci, D. Joannes de Vigintimiliis, Princeps S. Rom. Imperii, qui novissime a S. C. C. M. tituldm Celsitudinis Principalis accepit; Princeps di Bello montino, D. Mario Vanni, D. Anton. Crimibella; & alii. Concionatus est unus ex eorum congregatis.

D. XIX Congregatio de Sacra Vigilia, in Ecclesia agonizantium.

D. XX Milites Germani de Castello ad mare, cum ipsis sum Præfectis: multi se ipsis ad effusionem sanguinis flagellarunt. Adjungendi illis Piscatores de Tarracina, atque alii, quorum numerus & nomina, propter confusionem, non satis accurate sciri potuerunt.

D. XXI Magistri clementiarum. Hoc die cum finitur alterum novendiale S. Rosalie (nam prius finitum d. XII, & posterius inchoatum d. XIII, quo pietati devotorum homi-

hominum satisieret) imponendum finem singulari quadam solennitate judicavit Dom. *Alonzo Fernandez*, Ecclesie cathedralis Cantor. Id quod etiam a ceteris Canonicis, tanquam laudabile, approbatum. Ergo post meridiem, habito sermone publico, dispositum Ss. Sacramentum, quod adhuc quotidie in facello S. Rosaliae expositum. Praecantatus ab Archidiacono, D. *Josepho Stella*, hymnus Ambrosianus, in gratiarum actionem, quod liberata a majori malo civitas, nec terrae motus, cum novis ruinis, iteratus. Interim pompa Sanctissimi a Canonicis & Clericis per templum ad altare magnum ducta; ubi benedictionem dedit idem Archidiaconus infinita hominum multitudini, singularem devotionem & terrimum animum praferenti. Vespere clausum facillum S. Rosaliae.

Sed & Excellentissimus Senatus, ut nomine devotæ civitatis gratias ageret Divino Numini, quod intuitu amicissimæ ac potentis intercessionis immaculatæ Virginis Mariæ, urbem ab exitio liberaasset, hoc eodem die XXI Septembris in Ecclesiam S. Francisci, Patrum qui Minores Conventuales vocantur, se se contulit. Hic primo vespere, cum selectissimo concentu musico, cantatus hymnus Ambrosianus. Dein solennis ducta pompa. Gloriosam statuam immaculatæ Virginis, quam comitarunt Patres illius Conventus, secutus est Senatus cum omnibus suis ministris atque apparitoribus: porroque CCCC cives honoratores, cum accensis facibus, sub cruce eorundem Patrum. Processerunt e Conventu, per plateam de Castaro & viculum prope Ecclesiam cathedralem: cumque infinita multitudo pénitentis ac jubilantis populi non permitteret, ut tempium aliquod ingredierentur, in ipsa Ecclesia laudatorum Patrum S. Francisci finita pompa est.

Non mediocres istis devotis supplicationibus atque pompis addiderunt stimulos fervidissimæ Missiones omnium Parochorum, multorumque sacerdotum cum secularium tum regularium, qui Apostolico zelo toti repleti, in templis parochialibus, in areis publicis, atque in suis ipsorum Ecclesiis, sine intermissione, opus sacrum continuarunt. Benedixit

dixit etiam sudori laborique eorum Deus, fructu copiosissimo conversionum atque pœnitentiarum. Vnde non paucæ matres, cum suis infantibus in sinu, quorum tenerissima tempora spinis coronata. Visi complures, etiam extra pompas publicas ad sanguinem se ipsi flagellantes. Visi alii cum admiratione & horrore, nudi, & obtecta facie, spineto involuti progredientes. Neque etiam Nobiles defuerunt, quos prima nocte procedere ad templum cathedrale, sanguinem flagello elicentes, vidimus. A personis fide dignis numerum Missionariorum regularium accepi: & nunc eos saltim recensebo, quos distincte novi. Patres Dominicani e duabus conventibus supra memoratis dederunt Missionarios XIII: Minores Observantiales XI: Minores Conventuales IV: Patres Eremitani S. Augustini IV: Patres Carmelitani VIII: Reformati de observantia X: Capucini VIII: PP. tertii ordinis XI: quos inter præcipue eminuerunt Patres Magistri Jo. Chrysostomus Ajello, & Jo. Tomaso Truculensis, auditæ in curia conventus de Misericordia, aliisque locis, atque etiam in Ecclesiis Sanctimonialium: neque enim exiguo in auditoribus suis excitarunt doloris ac pœnitentiae sensus. Patres Augustiniani discalceati Missionarios dederunt IV: Mercenarii pariter discalceati IV: Patres S. Francisci de Paula IV: PP. crucigeri IV: quorum nonnulli, prope celebrem fontem Praetorianum, quem singularem Historici in universa Europa numerant. ipsa nocte terræ motus, zelum exercuerunt suum, administratione Sacramenti pœnitentiaz. Denique Societas Jesu, quæ V domos magno suo merito, & cum insigni laude pietatis atque magnificentiaz Normanitæ, possidet, Missionarios dedit numero triginta.

Neque etiam extra urbem fructus desuit; quando mox a prima mali nocte, ad S. Rosaliam in Monte Peregrino, tanta convolavit hominum multitudo, qui se intercessione huic Divæ, ad placandum Divinum Numen, commendarent, ac postea gratias agerent, propter liberationem a maiori malo, ut consueti Diaconi, cum XII sacerdotibus de Unione S. Georgii, minime sufficerent administrandis Sacramentis:

tis: quocirca multi in urbem reversi, cum saltim ad conspe-  
ctum Ecclesie genua flexissent. Et tantus quidem fuit con-  
cursus, ut altero die exhaustæ essent duæ aquarum cisternæ.  
Continuavit tamen populus frequentissimus visitationes poenitentiae, cum nonnullis missionibus PP. Dominicanorum  
de S. Zita. Die vero septimo Septembris, sub noctem, de-  
ducta eo pompa penitentiae a XLII Capucinis; e quibus P.  
*Gaetanus Maria Ruffus*, Panormitanus, sermonem ad popu-  
lum habuit, in ipius area montis: tanto auditorum flenti-  
um atque in nudam terram genubus provolutorum fervore,  
ut ipse concionator se multo vehementius ea re commotum  
fateatur.

Postremo observare placet, regiones, plateas, atque ædes, deplorando illo casu, in primis davaftatas, iis accurate  
locis sitas esse, ubi, superioribus seculis, duo sinus fuerunt  
dextri & si niftri portus, quem *pulcherrimum* dixit Diodorus  
Siculus, lib. XXII. Scilicet ædificiorum illorum fundamen-  
tis, quantumvis ceteroquin firmis, solum cretosum atque  
arenosum subest, antiqui portus vestigium, ut in cloacis si-  
ve aquæductibus propinquis subterraneis videre licet: quo  
sit, ut ad concussum & ruinas præ reliquis sint loca illa op-  
portuna.

De cetero non solum nostrorum hominum, sed & ali-  
arum in hoc regno civitatum dolorem atque lacrymas tri-  
stissima commovit clades; ut capit is afflictionem membra  
perfentiscent. Hinc scriptæ ad Excellentissimum Senatum  
nostrum litteræ, reverentia & doloris significatione refer-  
tissimæ, a Senatu *Drepanensi*, qui & XLII clementarios af-  
flictis ædificiis subfido misit, itemque a Senatu *Messanensi*,  
*Catanensi* & *Syracusano*; nec non a juratis *Trainæ*, *Netti*, *Agri-  
genti*, *Marsale*, & *Taurominti*.

Reliquum est, ut iterum agamus gratias misericordiæ  
Christi Domini nostri, qui ad intercessionem immaculatæ  
sue matris Marie, atque S. Rosaliae, (ut pia & firma civitatis  
est persuasio) non modo a majoribus pluribusque ruinis, in

E multis

multis aliis plateis, urbem conservavit, verum etiam ex afflictione temporali, uberrimos illos tot conversionum atque penitentiarum fructus spirituales procreavit. Omnes autem, tum incolae tum exteri, quos periculum istud non attigit, ubi consideraverint tot detrimenta, tot miseros oprellos, etiam atque etiam videant, ne in ipsos quoque conveniat admonitio atque exprobratio Servatoris, qua contra eos usus est, qui cum laetitia ex corde in ipsum vultum redundante, stragem quorundam Galilaeorum referebant, *Luc. XIII: Putatis, quod hi Galilei pre cunctis Galileis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? non, dico vobis: sed, nisi penitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

## F I N I S



L. f. 20.8

2

f. f. 203



005644717

Digitized by Google

$H_{B_1}$

